

Occasio autem dissipationis scietur ex natura domini illius signi. Venus enim faciet eam deperdi in cantu, luxuria, mulieribus &c.

Mercurius in ascendente in signo foeminino, dabit nato lucrum.

Saturnus in nocturna natiuitate in ascendente, & gradu suo, significat quod natus lucrabitur in uilitate substantiam, & uilipendetur propter eam.

Dominus ascendentis in duodecima, dat miseriam, nisi aspectus fortunarum id minuat.

Dominus signi coniunctionis uel oppositionis praecedentis natiuitatem, si in secunda domo fuerit, natus erit infortunatus in substantia acquirenda.

Si Iupiter aspicit secundam aut dominum eius, habebit adiutorium ab hominibus, unde non sperabat.

Pars mercaturae die & nocte a Saturno in Mercurium, & proicitur ab ascendente, quae si fuerit fortunata, & in domo substantiae, uel dominus eius habens dignitatem in domo substantiae, natus lucrabitur ex mercatura.

Si sint luminaria in angulis, & applicent planetis in angulis, natus permanebit in diuitijs, ut genitus est. Si uero luminaria in angulis fuerint, & applicent planetis cadentibus, natus imminuet substantiam progenitorum. Quod si luminaria cadant, & applicent planetis in angulis natus, ex humili loco ad altum extolletur.

Per quem modum diuitiae nati acquirendae sint explorare.



**C**ONSIDERA significatorem diuitiarum, uel significatores si plures sint, in quibus domibus figurae sint, nam secundum naturam domus, iudicabis nato diuitias.

Si per directionem huius significatoris diuitias certo anno inuenieris, uide in quam domum promissor ceciderit. Nam lucrum ueniet etiam ratione domus, in quam promissor ceciderit. Sed quia multi sunt significatores & partes coeli, quae diuitias promittunt, & ipsarum malae dispositiones infortunium in eis: omnes praedictos uidere oportet, in quibus domibus inueniantur & secundum res significatas per illas domos, damnum uel amissionem lucri, uel etiam acquisitionem & fortunium iudicare poteris, & dicere in quibus rebus natus fortunatus, uel infortunatus fiet. Si contingeret quod aliquis ex praedictis significatoribus esset fortunatus in aliqua domo, & etiam aliqui infortunati ibidem, tunc considera hoc bene, & dic nato lucrum per modum & naturam significati fortunarum, & damnum per dictam domum, secundum naturam & modum significati infortunarum, nam aliquando lucrabitur natus de una re, & perdet per aliam rem. Quare haec per industriam tuam bene examinabis. perpende & planetas fortunatos uel infortunatos, per corpus uel per aspectum significatoribus praedictis commixtos, in quibus domibus figurae & locis signorum sint, & iudica nato augmentum uel diminutionem lucri, & hoc secundum naturam domus in quam ceciderit, & per modum significatum per ipsorum loca. Nam si significator qui luca promittit, fuerit in prima domo fortunatus, maxime receptus a domino ascendentis, uel a planeta, qui habeat plures dignitates in ascendente, significat quod natus de leui lucrabitur, ratione suae industriae & laboris. Si uero infortunatus fuerit non receptus, significat damnum in hoc, & quod fiet infortunatus in rebus procuratis sua industria & labore. In secunda fortunatus, & maxime receptus, habebit lucrum ratione mercationis, & ratione suarum pecuniarum, uel secundum naturam rei significatae per secundam domum. Si infortunatus fuerit, damnum & infortunium in dictis rebus. In tertia, acquirat lucrum ratione significatorum tertiae domus, ratione fratrum, sororum uel consanguineorum, uel ratione rei ecclesiasticae, aut ex similibus. Si infortunatus ibidem fuerit, damnum

num